R E C T O R
ACADEMIÆ HASSO-GISSENÆ,

PETRUS HABERKORNIUS, S. Th. D. Prof. Pr.

TOTUSQUE ORDINIS PROFESSORII SENATUS ACADEMICUS,

LECTORI S. P. P.

ACademia bene conſtituta, ejusmodi [illegible] *eſſe ſolet, in quo Studiorum Cultores perpetuis γυμνάσμασι & certaminibus, quaſi* [illegible] *affixi eſſe, & nunquam otio & ignaviæ indulgere debent, quò in* [illegible] *quilibet tandem præcellentem & confirmatum eruditionis habitum ſibi per continuas Academicas* [illegible] *comparent, & præmiorum loco ſubſellia & faſtigia Officiorum & Honorum ſive in Republicâ, ſive in Scholis, ſive in Eccleſiis tandem conſequantur, Deo clementer adjuvante, qui ſolus noſtris laboribus incrementum addere valet. Cùm ergò præterita æſtatis Semeſtri Lectiones, Diſputationes, Collegia publicè & privatim habita, non ſine inſigni Studioſorum noſtrorum emolumento, ſerie indiſruptâ, in quâlibet Facultate Philoſophicâ, Medicâ, Iuridicâ & Theologicâ Deo vires & labores noſtros ſoſpitante & felicitante ad finem perducta fuerint, nunc nova exercitia Academica, per futura hyemis decurſum tractanda aperimus, atq; hunc in finem valvis publicis Catalogum novum Laborum futurorum appendimus, ſignificantes unà, quòd quantum in nobis eſt, nobis planè intermiſſuri ſimus, quod ad Studioſorum commodum, & præoptatam ſtudiorum & progreſſuum provectionem facilitandam & maturandam pertinebit, adeò ut, ſicubi unâ horâ eruditionem ſolidam cuilibet Auditorum noſtrorum inſtillare poterimus, nequaquam illud ipſum in plures horas dies q; protracturi ſimus, anfractuoſæ enim ambages, obſcuriores interpretationes & invidioſæ occultationes à nobis, prout par eſt, penitus evitabuntur, & nonniſi planâ & perſpicuâ, eâq; compendioſâ & nervoſâ methodo omnia noſtra pertractabimus, ut paterna & dextra fidelitas, quâ Auditorum noſtrorum conatus juvare & promovere enitemur, inſtitutionum & explicationum noſtrarum futura ſit Magiſtra & Directrix. Ipſos autem noſtros Auditores & aſcetas paterno planè animo admonemus, ut in palæſtrâ hâc Academicâ ſuam nobis omnibus diligentiam ſummam comprobent, hancq; occaſionem progreſſus ſuos auctiores reddendi, dum fronte Capillata adeſt, ambabus, quod dicitur, manibus arripiant, & nequaquam ſuo ipſimet officio deſint, certiſſimi, quòd ſicut Diſciplina, pietatis, modeſtiæ, tranquillitatis & pacati ſtatus, Pennaliſmo aliisq; ἀταξίαις & actionibus inhoneſtis atq; ſceleratis, longiſſimè profligatis, ita etiam Diligentiæ & ferveris in ſtudiis alacerrimi, cuſtodes & vindices futuri ſimus in hâc noſtrâ Academiâ impoſterum accuratiſſimi & obſervantiſſimi, quò Parentes, Tutores & patroni illorum, pacis, & diligentiæ apud nos Academica ſecuri, tutò & confidenter eos huc ablegare, noſtræq; fidei & informationi fideliſſimæ & methodicæ committere queant. Deus noſter, qui eſt Academiarum Rector ſupremus, propoſitum noſtrum, quod totũ in ſtudioſæ Juventutis emolumentũ propendet, ſucceſſu felici cali tus ſingulis, atque tam Docentium, quàm Diſcentium labores benedictionis ſua divino rore irrigare atq; fœcundare velit, Amen! Dab. Die 5. ſept. Ann. 1661.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS HABERKORNIUS, S. Th. D. & Profeſſ. Pr. p. t. Rector, curſum Theologiæ totius, quoad omnes controverſias, à capite uſque ad calcem, methodo perſpicuâ, & compendioſâ, Orthodoxam ſententiam firmis argumentis confirmando, eaque ſimul vindicando; Antagoniſtarum autem ſimul opinionem erroneam, cum objectionibus omnibus ſolidè confutando, tam in publicis Lectionibus, quàm in privatis Collegiis, quolibet die habendis, inſtituet, & intra temporis decurſum juſto haud prolixiorem ad finem, Deo clementer juvante, perducere feſtinabit, poſt nundinas autumnales ſtatim initium facturus. Quâlibet etiam hebdomade Diſputationem publicam contra Forerum, & poſtea in Articulo de Perſonâ Chriſti proponere perget.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, S.Theol. D. Ejus it & Hebr. Ling. Profeſſor, Publicè proponet Articulos Auguſt. Confeſſ. Privatim diſputabit contra Adverſarios, quoſcunque elegerit Auditorium. Hebraica itidem tractabit in uſum S. Lingvæ Cultorum.

MICHAEL SIRICIUS, SS. Theol. D. Ejuſdemq; Profeſſ. Ordinar. & Eccleſ. Gieſſ. publicè in Examine librorum Bellarmini de Verbo Dei perget, additurus brevem explicationem articuli de Juſtificatione. Privatim Collegia Catechetica duo, Univerſale unum in univerſam Theologiam, it. Concionatorium continuabit. Maturabit quoque editionem faſciculi ſecundi, & ad placitum Dominorum Studioſorum alia exercitia inſtituet.

IN FACULTATE JURIDICA.

JOHANNES OTTO TABOR, JC. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus Academiæ Cancellarius & Profeſſor Primarius, Juris publici & feudiſtici fundamenta, uti cœpit, publicè; Privati autem juris ſyntagmata, in privatis auditoriis porrò Deo favente exponet.

GREGORIUS TÜLSNERUS, U. J. D. *Conſiliar. Haſſ. & Profeſſor Ordinarius*, futuro ſemeſtri hyberno, continuabit notabilium Legum Codicis Juſtinianei explicationem; Caſus quoq; inſigniores Facultati Juridicæ oblatos, cum rationibus dubitandi & decidendi, publicè proponet & reſolvet.

JACOBUS LEBLEU, U. I. D. & Profeſſ. Ord. in publicis prælectionibus juridicis explicabit materiam de Contractibus. Privatim Collegia juris pro captu & deſiderio Dnn. Studioſorum aperiet.

MARTINUS Müller / *IU. D. & Profeſſor Ordinarius*, Jus Canonicum in Lectionibus ſuis publicis ſecundum praxin & ordinem judiciorum tradet: Privatim, ùt hactenus, aperiet Collegia Inſtitutionum, ubi & Pandectarum explicatoria & diſputatoria, alia inſuper inſtituturus exercitia Ethico-Legalia, prout Studioſæ juventuti commodum viſum fuerit.

HULDERICUS Eyben / *Juris Doct. & Inſtitutionum Juris Profeſſor Ordinarius*, prælectiones Inſtitutionum publicas, quâ cœpit, methodo utiliſſimâ continuando, operam ſedulò dabit, ut duo libri priores, *B. cum DEO* & fructu *DD. Auditorum* non pœnitendo, inſtanti hoc ſemeſtri abſolvantur, Diſputationes item de nobiliſſimis & difficilioribus Inſtitutionum locis inſtituet, & quidem modò per *DD. Reſponſuros* licuerit, ſingulis ſeptimanis publicè habebit. Privatim, tũ ea, quæ etiam nunc ſub manu exercitia ad finem perducere annitetur; tum nova & novi forſan generis, feliciter auſpicanda, cum florentiſſimis *DD. Studioſis* delibetabit.

IN FACULTATE MEDICA.

JOHANN. DANIEL HORSTIUS, Phil. & Med. D. & Profeſſ. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus, dum per negotia quam plurima, quibus Clementiſſimi & Sereniſſimi Principis juſſu in Aulâ detinetur, in Academia publicè profiteri nequit, operam ſuam nihilominus per conſilia Medica Collegio Medico & Studioſis Medicinæ requiſitus præſtò pollicetur.

JOHANNES TACKIUS, Phil. & Medicinæ Profeſſor Ordinarius, & Archiater Haſſo-Darmſtadinus, cum Deo graviſſimas illas in Medicinâ, maximéque ferales de Venæſectione & purgatione materias, quas proëmii loco nuper tractare cœperat, abſolvere autèm ob negotia alia, ad aulam vocatus non potuerat, ad finem uſque perſequetur. Deinceps verò per omnes morbos, publicos inſtituet diſcurſus, collaturus inter ſe dogmaticorum & Paracelſiſtarum aliorúmq; ſive veterum, ſive Neotericorum Medicorum ſcitu maximè neceſſaria placita; Publicis verò & privatis exercitiis univerſam inſuper Medicinam gratiſſimâ brevitate uſus, illuſtrabit, atq; cuiq; Philiatro Chemiæ neceſſitatem & uſum monſtrabit.

LAURENTIUS STRAUSIUS, Medic. Profeſſor Ordinarius, ex parte *Phyſiologica*, Artis Medicæ *Objectum* ita explicabit, ut præter lectiones & diſputationes, ſingulis ſeptimanis, partis alicujus *Anatomen, proxima Hyeme*, adminiſtret, ejuſdemque ſitum & connexionem aliaque ſcitu hîc neceſſaria, oculariter demonſtret. *Privatim* etiam, pro lubitu Studioſorum *Collegia*, eorum captui ubiq; ſe accommodaturus, aperiet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. CASPAR EBELIUS, Metaphyſicæ & Logicæ publicus Profeſſor Ord. & Academiæ Senior, quantum infirmitas corporis patietur, ſingulis diebus Lunæ & Martis, axiomata Logica, Jovis autem & Veneris, Metaphyſica explicabit, Collegia Logica & Metaphyſica privata pro Studioſorum captu & deſiderio, non intermittet. Quòd ſi in auditorio publico nõ poterit comparere, nihilominus, Deo juvante, exercitia illa lectoria & diſputatoria in ædibus ſuis, pro viribus, continuabit, & diſputationes publicas, ſive graduales, ſive alias pariter habebit.

M. JOHANN. CUNRAD. DIETERICUS, Græcæ Linguæ & Hiſtoriarum Prof. filo brevi recẽſione inſtituet Rerũ Hiſtoricarũ, quæ *ſub Rom. Cæſaribus primis* contigerunt; cumque hiſtoria ſit γυμνασία πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, dicente Polybio, εἰς γυμνάσματα Ἀκαδημικὰ Dnn. Studioſis officioſè commendat Cæſares illos, qui magis ex uſu præſentis Imperii Romano-Germanici nobis futuri ſunt, nẽpe qui à Carolo Magno ad Imperatorem noſtrum glorioſiſſimum Leopoldum ſummæ rerum præfuerunt, ut eorum ſelectu illa Gymnaſmata ex ipſis fontibus præviâ noſtrâ χειραγωγίᾳ fideliter inſtituantur. Principum Imperii tantorum hiſtoria unicè digna, quæ aliis atque aliis laboribus conquiratur; ſiq; hic labor placuerit, arbitrio cujusvis Dñi Studioſi relinquetur, quem Cæſarem (neque enim ordini nos alligabimus) ſibi conſcribendum ſeligere placuerit. Idem meletema in Philologicis, ſive Græcis ſive Latinis, per vires futurum eſt. Exercitia addentur privata in utrâq; Profeſſione, cumq; numerus lectiſſimorum Studioſorum ſe ſponte offerat, qui dulcedine ſtudii hiſtoriarum accenſi operam meã cupide expoſcant, ob hoc majori nexu obligatus *Regnorum & Imperiorum varias hiſtorias* in privato contubernio ſub varia exercitiorum contentione & jucundo ſeriorũ ſtudiorum laxamento ſeligemus; cumque fluitent hiſtoriæ, niſi ſimul *Genealogiarum*, *Chronographia* quoque & *Chorographia*, limitibus cuſtodiantur, diductos hiſtoriarum fines intra hos alveos ſimul coercebimus. Videbimus, & quidem citra oſtentationem, quæ ad frugem compendia pateant, & quæ in ſcriniis lateant. Numen divinum adſit & adſiſtat.

JACOBUS LEBLEU, U. J. *D. Civilis Prudentiæ Profeſſor Ordinar.* in Lectionibus politicis proponet ſelectiores quæſtiones ex Tacito, eaſque recentioribus & ad uſum maximè facientibus exemplis illuſtrabit.

JOHANNES TACKIUS *Phil. & Med. D. hujus & Eloquentiæ Profeſſor ord. & Archiater*, lectionibus publicis totius Eloquentiæ privatum præcepta breviter tradet & ex optimis autoribus illuſtrabit: verò, Deo concedente otium & ſuppetias ferente, haud contemnenda ex præſtantiſſimis quibusvis Hiſtoricis & Oratoribus Romanis inſtituet exercitia publicis declamationibus nobilitanda. Quòd ſi verò contingat, ad Aulam Sereniſſimam evocari, per ſubſtitutum p. t. in hunc finem, collegam ſuum, Dn. Fridericum Mullerum, Mathematum Profeſſorem, alioſque hoc ſtudio claros, Studioſorum deſideria explebit.

LAURENTIUS STRAUSIUS, Phyſices Profeſſor Ordinarius, in *Phyſicis* Compendium totius Philoſophiæ Naturalis legendo & diſputando exponet: & privatâ quoque operâ Studioſorum induſtriæ captuique inſerviet.

KILIANUS RUDRAUFF, Phil. M. Log. & Met. Prof. Ordin. publicè *die Lunæ & Martis* profitebitur Aphoriſmos Metaphyſicos, *die Jovis & Veneris* Inſtitutiones Logicas acutiſſimi noſtri Philoſophi. Illic, ùt incepit, perget, inprimis, ubi ordine eò delatus fuerit, exponet doctrinam cauſarum, utpote moderniorum controverſiarum ditiorem, indeque ſcitu utiliorem. Hic autem inchoabit à Libro ſecundo de Enunciationibus. *Collegium publicum* Metaph. Annot. & Diſt. continuabit, præterque illud inſtituet *Logicum* pro Organicæ diſc. Cultoribus, etiam publicum. In privatis reſpiciet vota Dnn. Studioſorum, aperiendo Collegia Logica & Metaphyſica, diſp. lectoria & explicatoria. Etiam, ſi vel paucis quibusdam placuerit, diſputatorium *in Meiſneri Philoſophiam ſobriam*.

M. JOHANNES Weiß / *Moralium Prof. Ordin.* publicè, illuſtrium in moralibus quæſtionum explicationem, ſcituque maximè dignarum poſitionum diſputationes, in gratiam Dnn. Studioſorum, quantum in ipſo eſt, continuabit: Eorundem deſideriis intra privatos parietes eodem ſtudio candidè ſatisfacturu.

FRIDERICUS Müller / *in publicis lectionibus* debet auditorum precibus Italicam *Practicam* & Algebram, iis ergò abſolutis ſubjunget Geometriæ tractationem. *Privatim in Mathematicis* abſolvet alteram Collegii, *Geographici* partem, quæ Veterum nomina enucleabit eâ methodo, quâ hactenus recentia didicimus; Promiſſa Auditorum votis Collegia *Aſtronomicum ac Fortificatorium* fideliter præſtabit.

GIESSÆ Typis JOSEPHI DIETERI [illegible] Acad. Typographi Ordinarii.